

§. VII.

Paucis moneo, in Ontologia, quæ ideis universalibus, definitionibus, divisionibus & Axiomatibus unice occupatur, Methodi Mathematicæ exiguam aut nullam esse posse utilitatem: hujus enim vis in ratiociniis consistit, quibus primaria Ontologiæ objecta non indigent.

§. VIII.

Maxime autem observandum duco, Geometriæ *a)* Theoreticæ objecta esse ficta, *b)* nihilque requirere, quam ut cogitari possint, contradictionem non involvant, h. e. possibile sint: quare Leibnius *c)* & Wolffius, *d)* ut non Metaphysicam tantum, sed omnem etiam Philosophiam ad certitudinem veritatum Geometricarum eveherent, ens in genere, eoque ipso omnia Philosophica objecta in possibile transformarunt.

*a)* in hac enim optima Methodi Mathematicæ (quæ ex hoc capite etiam Geometrica dici solet) specimina quæeruntur.

*b)* lineæ enim sive rectæ sive regulares curvæ (ex quibus figuræ, sicut ex figuris corpora componuntur) in tanta accuratatione concipiuntur, ut tales dari vel fieri posse vix sit credibile, adeoque applicatio & examen Theorematum in Geometria Practica exacte institui nequeant. Hebetudo tamen oculorum non armatorum ideas has admodum promovet & faciliat.

*c)* in Epistola excerpta in Memoires de Trevoux, a. 1701, m. Sept. & Oct. Art. 23. & in Meditat. de Cognitione, Veritate & Ideis in Act. Erud. Lips. a. 1684. p. 537.

*d)* cui ens est possibile in Metaph. §. 16. Philosophia scientia possibilium in Vorbericht der Logique §. 1. definitio realis docet rationem, qua aliquid possibile est. Log. c. 1. §. 38.

§. IX.

Philosophus nimis Irenicus arbitrio cuivis id relinqueret, cumque vocabulum Entis admodum ambiguum sit, & inter alia possibile designet *a)* dissensum Logomachiis annumeraret. Ast, quando finem *b)* vel solius Ontologiæ consideramus, h. e. applicationem in quibuscunque scientiis aliis, quarum objecta sunt realia, actu existentia, e. g. Deus, divinæ leges, corpora, homines, necessarium deprehendimus, ut objectum Ontologiæ sit ens reale actu existens *c)*.